

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Mendacium c
cum fontibus proximo et primis

Perdes omnes qui loquuntur mendacium.

Sunt mendacia quedam
pro salute uel commodo alicuius non malicia sed benignitate
ut obstetrices
que dixerunt pro filiis Israel falsum Pharaoni.

Hec autem mendacia non re sed in dolo laudantur
et qui sic menciuntur,
merebuntur aliquando ab omni mendacio liberari.

Est etiam mendacium ioco quod non fallit. Scit enim cui dicitur
causa ioci dici, et hec duo genera non sunt sine culpa sed
non cum magna. Perfectis non conuenit mentiri nec pro
temporali uita cuius morte sua uel alterius. Occiditur enim anima,
licet autem eis si non falsum dicere, uerum tacere ut si quis
non uult hominem ad mortem perdere uerum taceat sed non
falsum dicat, nec pro corpore alterius animam suam occidat.

Augustinus super Psalmum V.

«Perdes omnes qui loquuntur mendacium»

quia hoc est ueritati contrarium. Veritas est de eo quod est:
mendacium non est substantia vel natura, sed de eo quod non est:
et merito perditur qui declinat ab eo quod est ad id quod non est.
Mentiri, est contra hoc quod quis animo sentit loqui. Augustinus:
Sunt mendacia quaedam
pro salute uel pro commodo alicujus non malitia, sed benignitate:
ut obstetrices
quae dixerunt pro filiis Hebraeorum falsum Pharaoni.

Haec autem mendacia non re, sed in dolo laudantur:
quia qui sic mentiuntur,
merebuntur aliquando ab omni mendacio liberari.

Est etiam mendacium ioco, quod non fallit: scit enim cui dicitur,
causa joci dici: et haec duo genera non sunt sine culpa, sed,
non cum magna. Perfectis autem non conuenit mentiri, nec pro
temporali uita, cuius morte sua uel alterius non occiditur anima:
licet autem eis si non falsum dicere, uerum tacere: ut si quis
hominem non uult ad mortem perdere, uerum taceat, sed non
falsum dicat, nec pro corpore alterius animam suam occidat,
non est culpa uerum tacere, ut Dominus: «Multa habeo uobis
dicere (*Joan.* XVI).»

Haymo Halberstatensis, *Commentarius in Psalmos*, 5 (PL 116,
col.211B-C).

Ideo, inquit,
perdes omnes qui loquuntur mendacium (Psa. 5:7),
quia recedentes ab eo quod est,
ad id quod non est declinantur.
Multa quidem uidentur

pro salute aut commodo alicuius, non malitia, sed benignitate
mendacia, quale illarum in exodo obstetricum
quae pharaoni falsum renuntiauerunt, ut infantes filiorum israel
non necarentur. Sed etiam ista
non re, sed indole laudantur;
quoniam qui tantum hoc modo mentiuntur,
merebuntur aliquando ab omni mendacio liberari.

Augustinus Hipponensis, *Enarrationes in Psalmos*, 5.7 (CCSL
38, E. Dekkers & J. Fraipont eds., p.22, ll.10-18).

Est etiam mendacium ioco, quod non fallit: scit enim cui dicitur,
causa joci dici: et haec duo genera non sunt sine culpa, sed,
non cum magna. Perfectis autem non conuenit mentiri, nec pro
temporali uita, cuius morte sua uel alterius non occiditur anima:
licet autem eis si non falsum dicere, uerum tacere: ut si quis
hominem non uult ad mortem perdere, uerum taceat, sed non
falsum dicat, nec pro corpore alterius animam suam occidat,
non est culpa uerum tacere, ut Dominus: «Multa habeo uobis
dicere (*Joan.* xvi).»

Haymo Halberstatensis, *Commentarius in Psalmos*, 5 (PL 116,
col.211C).